

SANCTISSIMO, ET BEATISSIMO  
PATRI, AC DOMINO N. D.

VRBANO OCTAVO  
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

DECANVS ET CAPITVLVM ECCLES. CORDVB.  
SEMPITERNAM FELICITATEM.



DOCTORES in sacris literis ty-  
picè dentibus adumbrantur .  
Hi corpori escas, illi animis par-  
tiantur, & inserunt disciplinas.  
Harum facultas , non scientia  
omnibus data. Qui eam homi-  
nem docet, Dominus est, per  
os hominis operans. Et posuit

in Ecclesia primùm Apostolos, secūdò Prophetas,  
tertiò Doctores. Hi velut candidi, ac nitidi den-  
tes Divina mysteria studiosâ consideratione exte-  
nuant, ac comminuta, quasi p̄somismata mansa, &  
ad concoquendum aptiora, & alendum magis pro-  
ficua parvulis tradunt, vt coelesti pabulo efficacius  
imbuantur. Angelica, immo, Divina dignitas, Dei  
adiutores, & cooperatores in doctrinâ, & conver-  
sione animarum mortales fieri. Ad tantum munus,  
quod suprâ communem hominis valentiam, & vi-  
res est, non quivis sufficiens ex Deo sufficientia  
est, qui idoneos ministros facit ad lucem mundi, &  
lumen eorum, qui ipsorum eruditione sunt illumi-  
nandi. Hac Divina gratia illustratus venit in Bæ-  
ticam Magister IOANNES de AVILA celeberrimus

mus Doctor, & Apostolicus Concionator, cuius collucente fulgore universus est collustratus orbis, nedum Hispania. Post immensos exantlatos labores, inter nostros, diu vixit, demūque devixit.

Nostri quondam B. P. supernæ nunc Ierosolymæ civis laudes, & commédationem ad benignissimi Apostolatus T V R I aram pie filere non possumus. In Oretanis Religiosis, & honestis ortus parentibus iurisprudentiæ Salmanticæ, mutato deinde consilio Compluti sacre Theologiæ animum addixit. Magnâ ingenij felicitate, pari que laude adeo profecit, vt coævis scientia, ac egregijs virtutibus præluceret. Omnibus instructior Magisterij, & sacrorum ordinum honore insignitus diu excogitatum, & assidua oratione ieiunij, cilicij, ac cunctis spiritualibus exercitationibus vitam institutam ad extremam usque lineam promoveri magno studio contendit.

Paternæ hæreditatis facultatibus inter pauperes distributis, patrito, avito que solo relicto pauper, ac humill veste indigus, & egenus, Divinis oculis dives, & opulentus in novum orbem navigaturus Hispalin pervenit. Dum classicus apparatus instruitur, pro more suo intra humilitatis proposita septa omnes suas cogitationes, & actiones ad CHRISTI D. N. imitationem, vti ad scopum, finem, & exemplar certissimum, cursum dirigebat. Splendida fax diu latere non potuit, atque in sublime illam levare compellitur. Ab Hispalitano Archiepiscopo destinata navigatio impeditur. Prædicationis onus, & officium eiusdem præcepto impositum coactus suscepit, sicut, & ex omologeticum iam antea, vtrumque nunquam depoluit.

Ejus

Eius admiranda sapientia cum eloquij facundia, ac copia virtutibus, quasi validis fulta fulcris auditores in eam rapiebat mirabilitatem, ut expressis Ecclesiæ luminaribus unum proclamarent. Eorum animos nonnunquam sic afficiebat, ut qui ad horulam dicentes alios vix sustinerent, & fastidirent, ipsius dictionem post binas, ternasve horas simulacris similes, lacrimis tamen, tacitisque suspirijs spirantes avidè protrahi averent. Minimè ille clamorosus, turbulentus, turgidus, aut piger, sed ad docendum, & exhortandum vehemens, verbis purus, sententijs plenus, atque perfectus. Verùm cum res, & occasio poscerent, non extrà modestiæ modum, sic tonaret. vt amplissimam hanc basilicam, eiusque molem tremefacere videretur. Nec fragor erat sine fulgure, & fulmine, sed qui ignes impelleret. Sæpè quippè cōspectæ scintillæ, ab eius ore micantes emissæ, quibus qui icti, quasi artoniti, loco pulsæ, & flammati, mentium gelu, glacieque liquatis, in novos homines se transformatos sentiebant. CHRISTI D. N. ecstático sic ardebat amore, vt quem toto cordis, & animi affectu diligeret, dulcissimè continuò personaret. Sacratissimum IESU nomen sicut semper in corde, ita & in ore. In Divinum erga humanum genus amorè humilli cōtemplatione se se miro fervore insinuabat, & in eius adyta ardētis affectionis impetu, & impulsione ferebatur. Vastissimū in eius pelagus, & sinu profundo profundissimū Oceanū, immersus amatissimè incitatus in eas prorumperebat exclamationes, quas ab ignito pectore solus hic amor excitet, sine intermissione ferventissimè orabat, vt qui in Dñi conspectu, recta, erectaque in ipsum mēte semper adstaret.

A 2 Ad

Ad eum tanquam sapientiæ oraculum omnēs confluebant, atque humanissimè, fronte, hilarique vultu excepti, simul & responsa ferebant, nec ipse, nec desiderio fraudati. Ipsius humilitas in eo enituit maximè, quòd cum sanctitatis opinione, nomine, ac re ipsa excelleret, & à principibus sacratīs, & laicis, nec non & populis maxima coleretur observantia, & reuerentia, in ima propriæ notionis, & abiectiōnis abyſſo depressus, despiciatissimus sibi erat. Et, qui humilis corde, etiam mitis, ac mansuetus incredibili patientia, & in ipsa perpeſſione silentio, atque magni animi fortitudine. Nam in tribulationum, persecutionum, etiam carcerum fluctibus, & procellis iactatus, & amarissimè afflictatus, magna cum spiritus tranquillitate, & pace CHRISTI D.N. cruci confixus quasi tempestate serena perstabat.

Scripta eius multa, & eleganti polita eloquio natura magis, quàm arte, sacrarum literarum, ac Patrum frequentibus sententijs religiosè elaborata. Eorum magna pars non sine ingenti iactura intercidit. In ijs, quæ extant, velut in imagine ad vivū iconicè expressæ excelsæ eius virtutes conspiciuntur. Spiritu actionis carent libri, at his inest quidam vividus, & spirans, & ipsa dictio sic viget, & agit, ut luminoso fulgore emineat, & alliciat. In dicendo namque, & scribèdo, pari energiâ nervosus, & efficax. Quæ fecit, dixit, & scripsit supra hominem, maioraque humano, Divino sanè instinctu, & afflatu facta, dicta, scriptaque sunt. Ad ea optimo usus ordine, ut primum ageret, ipsaque actione discebat, quæ verbo esset docturus. Dictis an factis, sermone, an exemplo præstantior, nemo faci-

facile diiudicavit.

Multis, ac magnis charismatum donis, & revelationibus illustratus plurima in animarum conversione edidit miracula, aspectabilia non omnia, nam interna in mentibus patrata, Multa etiam externa, & conspicua. Verùm illa tantò maiora, quantò spiritalia corporeis præferenda. In eius amicitiam, & disciplinam quam plurimi pietate, religione, ac sanctitate præditi se se tradidere.

Vniuersa fermè doctrinæ radijs collustrata Bætica diutino martyrio probatus, ac multis auctus trophæis, & triumphis, in Sanctorum Martyrum, & Doctorum, quorum prætioso sanguine Vibs nostra Patritia purpurata clarescit, gloriosum cætum migraturus, hanc sibi ultimam sedem delegit.

Optimi, planèque sapientis, omnibus suis partibus absolutum Doctoris munus sustinuit, & explevit. Viam ad vitæ spiritualis perfectionem ex sacris libris, ac sanctorum Patrum monumentis mirabili studio muniuit. Nutricum more, & quasi dædium opera, lacte, mox cibis extenuatis, Catholica scilicet veritatis rudimentis, parvulos enutrivit: atque per omnes ætates pro captu de lumine in lumen, ut proficerent, nec quiescerent, donec ad summum perfectionis fastigium pervenirent, vti mirificus tanti officij minister perduxit. Purissimam catholicorum dogmatum, quam imbiberat, hauseratque doctrinam, in omnes sine invidia sincero, simplici que candore foecundissimè diffudit, & innumeram Domino, vti solertissimus adiutor, & cooperator genuit, & produxit prolem. Cuius ut saluti consulere, & prospiceret, propriæ nulla illiratio, nec tempori parcebat, nec labori. Ultra

vires fatigatus non cessabat. Hinc factum, vt crebris ægrotationibus valetudinem tentatam omnino amitteret. Demum post molestissimum, diutinumque morbum acerbissimo maximo rum dolorum cruciatu confectus, & oppressus Sanctæ Ecclesiæ devotissimè susceptis Sacramentis, IESU D. N. Sanctissimæque MARTIÆ eius Immaculatæ genitricis continua, & repetita semper nominum invocatione, de terrena in cælestem, æternamque mansionem translatus est. Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, sexto Idus Maij. Sacrosancta eius ipsa marmorea eleganti clusa, & condita urna pijsimo cultu populi omnes venerantur.

Quam gloriæ coronam in cælis fuerit consecutus, inclytus ille Ludovicus Granatensis sanctitate, præclarisque virtutibus clarissimus, cuius opera nulli non nota, in ipsius vita, quam vt amicus, ac testis oculatus scripsit, eam ex verbis Domini existimat. *Qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno celorum, atque ex Daniele. Qui autem docti fuerint, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.*

Hæc sunt, BEATISSIME PATER, quæ brevithesi, ad hypothesin, quæ iustum poscit volumen, non devenientes sacris Tuis pedibus ad voluti proponimus, ac supplici, humilique prece petimus, vt sanctissimum hunc virum iam olim pro sublimium meritorum magnitudine cælitum insertum choris, ac societate perfruente, numero, & catalogo dignum adscribi, & laudibus, & debitis honoribus exaltari, & augeri in terra, iam auctum & exaltatum

in cælo iubeas, & sacra apothecis, solenni que ritu declares. Vt quem privatim multi, publice cuncti religiosè colant, & concelebrent. Deus Optimus Maximus BEATIT. TVAM incolumem quam diutissimè conservet. Datum Gordubæ in Capitulo Huius almæ Cathedralis Ecclesiæ xvij. Kalendaras Novembris 1623.